



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

De his per quæ sit satisfactio. Quæstio 15.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

peccatis per huiusmodi opera retrahatur. Verum
 diminutionem vel dilationem temporalis po-
 merentur huiusmodi opera (sicut patet de Actibus
 Reg. 21.) eodem modo, sicut & bonorum tempo-
 raliū consecutionem. Quidam autem dicunt, quod
 minuunt pœnam inferni, non subtrahendo aliquid
 ipsa quantum ad substantiam, sed fortificando
 eam, vt melius sustinere possit. Sed hoc non po-
 esse: quia fortificatio non est nisi ex ablatione
 debilitatis. Passibilitas autem est secundum mensuram
 culpæ: & ideo si culpa non diminuitur, nec subie-
 fortificari potest. Quidam etiam dicunt, quod
 nuntur pœna quantum ad vermem conscientie,
 non quantum ad ignem. Sed hoc etiam nihil effi-
 ficat pœna ignis æquatur culpæ, ita etiam pœna
 morsionis conscientie. Vnde similis ratio est
 vtroque.

Et per hoc patet solutio Ad obiecta.

QVÆST. XV.

† Concil.
 Trid. sess.
 14. c. 9. et
 cap. sunt
 priores de
 pœnit. d.
 4.

De his, per quas fit satisfactio, in tres articulos
 dividitur. Et primo considerandum est de his per quas
 satisfactio fit.

- ¶ Circa quod quærentur tria.
 ¶ Primo, vtrum satisfactionem oporteat fieri
 per opera pœnalia?
 ¶ Secundo, vtrum flagella quibus à Deo in
 homo punitur, sint satisfactoria?
 ¶ Tertio, vtrum conuenienter enumerentur
 satisfactoria, cum dicitur, quod sint tria, scilicet
 elemosyna, ieiunium, & oratio?

ARTIC. I.

Vtrum oporteat fieri satisfactionem per opera
 pœnalia?

59
 Tho. ubi
 sup ar. 4.
 q. 1. c.
 seq.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod
 satisfactio non oporteat fieri per opera pœnalia.
 Quia per satisfactionem oportet fieri reconcilia-
 tionem ad diuinam offensam. Sed nulla reconcilia-
 tio videtur fieri per opera pœnalia; quia Deo
 non placet iniuria.

delectatur in pœnis nostris. Ergo non oportet satisfactionem per opera pœnalia fieri.

¶ 2 Præterea, Quanto aliquod opus ex maiori charitate procedit, tanto minus est pœnale; quia charitas pœnam non habet, ut dicitur primæ Ioannis quarto. Si ergo oporteat opera satisfactoria esse pœnalia, quanto magis sunt ex charitate facta, tanto minus erunt satisfactoria; quod falsum est.

¶ 3 Præterea, Satisfacere (ut dicit Ansel. *) est honorem debitum Deo impendere. Sed hoc etiam alijs, quam op̄ibus pœnalibus, fieri potest. Ergo satisfactionem non oportet pœnalibus operibus fieri.

SED contra est, quod Greg. dicit *, Iustum est, ut peccator tanto maiora sibi inferat lamēta per pœnitentiam, quanto maiora sibi intulit damna per culpā.

¶ Præterea, Per satisfactionem oportet peccati vulnus sanari perfecte. Sed peccatorum medicina sunt pœnæ, ut Philosophus dicit in 2. Eth. * Ergo oportet, quod per pœnalia opera satisfactio fiat.

RESPONDEO dicendum, quod satisfactio, ut dictum est *, respectum habet & ad præteritam offensam, pro qua recompensatio fit per satisfactionem; & etiam ad futuram culpam, à qua per eam præservamur: & quantum ad utrumque, exigitur quod satisfactio per opera pœnalia fiat. Recompensatio enim offensæ importat adæquationem, quam oportet esse eius qui offendit, ad eum in quem offensæ commissæ est. Adæquatio autem in humana iustitia attenditur per subtractionem ab vno, qui plus habet iusto; & additionem ad alterum, cui subtractum est aliquid. Quævis autem Deo, quantum est ex eius parte, nihil subtrahi possit, tamen peccator quantum in ipso est, aliquid ei subtrahit peccando (ut dictum est *). Unde oportet ad hoc, quod recompensatio fiat, quod aliquid subtrahatur à peccante per satisfactionem, quod in honorem Dei cedat. Opus autem bonum ex hoc, quod est huiusmodi, non subtrahit aliquid ab operante, sed magis perficit ipsum. Unde subtractio non potest fieri per

¶ 2 opus

*lib. 1. Cur
Deus ho-
mo, c. 11.*

*in sensu
id habe-
tur 4. mo
ral. c. 21.
post med.
lib. 2. c. 3.
ante me.*

*q. 12. ar.
3. cor.*

*q. 12. ar.
3. ad 4.*

opus bonum, nisi pœnale sit: & idè ad hoc, quod aliquod opus sit satisfactorium, oportet quod hoc opus, & in honorem Dei fit; & pœnale, ut peccati aliquod peccatori subtrahatur. Similiter etiam peccata futura præferuat: quia non facile homines peccata redit, ex quo pœnam expertus est. Unde secundum Philosophum*, pœnæ medicinæ sunt.

li. 2. eth.
c. 3. aute
med.

Ad primum ergo dicendum, quod quamuis Deum non delesteretur in pœnis, ut sunt pœnæ, delesteretur tamen in eis ut sunt iustæ: & sic satisfactoriæ esse pœnæ non consideratur pœnalitas, ita & in merito comparatur difficultas. Diminutio autem difficultatis est ex parte ipsius actus, diminuit (ceteris paribus) meritum: sed diminutio difficultatis, quæ est promptitudine volûtatis, non diminuit meritum, sed auget. Et similiter diminutio pœnalitatis ex promptitudine volûtatis, quam facit charitas, non diminuit efficaciam satisfactionis, sed auget.

Ad secundum dicendum, quod sicut in satisfactione ne consideratur pœnalitas, ita & in merito comparatur difficultas. Diminutio autem difficultatis est ex parte ipsius actus, diminuit (ceteris paribus) meritum: sed diminutio difficultatis, quæ est promptitudine volûtatis, non diminuit meritum, sed auget. Et similiter diminutio pœnalitatis ex promptitudine volûtatis, quam facit charitas, non diminuit efficaciam satisfactionis, sed auget.

Ad tertium dicendum, quod debitum pro peccato est recompensatio offensæ, quæ sine pœnâ peccatis non fit: & de tali debito Anselmus intelligit.

ARTIC. II.

60

Utrum flagella presentis vite sint satisfactoria.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod flagella quibus à Deo in hac vita punimur, non possint esse satisfactoria. Nihil enim potest esse satisfactorium, nisi quod est meritorium, ut ex dicto patet. Sed non meremur, nisi per ea quæ in nobis sunt. Cum ergo flagella quibus à Deo punimur, non sunt in nobis, videtur quod satisfactoria esse non possint.

q. preced.
art. 2.

¶ 2 Præterea, Satisfactio tantum honorum, sed huiusmodi flagella etiã malis inducuntur, & tunc non capiuntur eis debentur. Ergo nõ possunt esse satisfactoria.

¶ 3 Præterea, Satisfactio respicit peccata presentis vite. Sed aliquando ista flagella infliguntur in peccata non habent, sicut de Iob patet. Ergo videtur quod non sint satisfactoria.

SED contra est, quod dicitur Rom. 5. Tribulatio patientiam operatur. Patientia autem probationem, id est, à peccato purgationem, ut glossa * ibidem dicit. Ergo flagella huius vitæ, peccata purgant, & sic sunt satisfactoria.

¶ Præterea, Ambr. * dicit, Et si fides, id est, peccati conscientia desit, pœna satisfacit. Ergo huius vitæ flagella sunt satisfactoria.

RESPONDEO dicendum, quod recompensatio offensa præteritæ potest fieri ab eo qui offendit, & ab alio. Quando autem fit ab alio, talis recompensatio vindicationis magis, quam satisfactionis rationem habet: quando autem fit ab ipso qui offendit, etiam rationem satisfactionis habet. Vnde si flagella, quæ pro peccatis à Deo infliguntur, fiant aliquo modo ipsius patientis, rationem satisfactionis accipiunt: sunt autem ipsius, in quantum ea acceperat ad purgationem peccatorum, eis utens patienter. Si autem omnino eis per impatientiam dissentiat, tunc non efficiuntur aliquo modo ipsius: & ideo non habent rationem satisfactionis, sed vindicationis tantum.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis illa flagella non sint omnino in potestate nostra, tamen quantum ad aliquid sunt, ut scilicet eis patienter utamur: & sic homo facit de necessitate virtutem. Vnde & meritoria & satisfactoria esse possunt.

Ad secundum, dicendum, quod sicut ex eodem igne (ut Greg. dicit *) aurum rutilat, & palea fumat: ita etiam eisdem flagellis & boni purgantur, & mali magis inficiuntur per impatientiam. Et ideo quamvis flagella sint communia, tamen satisfactio tantum est bonorum.

Ad tertium dicendum, quod flagella respectum habent ad culpam præteritam, semper; sed non semper ad culpam personæ, sed quandoque ad culpam naturæ. Si enim in humana natura nulla culpa præcessisset, nulla pœna fuisset: sed quia culpa in natura præcessit, personæ aliqui diuinitus pœna infertur sine

* glos. or. ibid. sup. Psal. 118. ser. 18. à. pr. to. 4. refertur de pœnit. d. 3. ca. 41. et c. 44. et habetur 4 sent. d. 15. S. B. & C.

Id habet Aug. lib. 1. de civ. Dei, c. 8. circa fin. 10. 5.



Greg lib. 16. mor. c. 20. culpa personæ, ad meritum virtutis, & cautelam peccati sequentis: & etiam duo hæc necessaria sunt satisfactione. Oportet enim esse opus meritorium honor Deo exhibeatur, & oportet esse virtutum studiam, ut à futuris peccatis præferuemur.

ARTIC. III.

61 *Vtrū convenienter enumerentur opera satisfactoria*

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod inconvenienter enumerentur opera satisfactoria, cum dicitur, quod sint tria, elemosyna, ieiunium, & oratio. Quia opus satisfactorium debet esse penale. Sed oratio penam non habet, cum sit contra penam tristitiam medicina, secundum delectationem unde dicitur Iacob. quinto. Tristatur aliquis vellet oraret: æquo animo est? psallat. Ergo non debet computari inter opera satisfactoria.

sup. illud Matt. 9. Hoc genus demoniorum non, &c. 10. 9.

¶ 2 Præterea, Omne peccatum vel est carnale vel spirituale. Sed sicut dicit Hieronimus *, Ieiunantur pestes corporis, oratione pestes mentis. Ergo non debet esse aliquod aliud opus satisfactorium. ¶ 3 Præterea, Satisfactio est necessaria ad emendationem peccatorum. Sed elemosyna ab omni peccatis emundat, Lucæ 11. Date elemosynam, ecce omnia munda sunt vobis. Ergo alia debent esse superflua.

¶ SED contra, Videtur, quod debeant esse tria: quia contraria contrariis curantur. Sed multa sunt peccatorum genera, quam tria. Ergo debent esse plura satisfactionis opera computari.

¶ Præterea, Peregrinationes, etiam iniunguntur pro satisfactione; & disciplina, siue flagellationes non computantur sub aliquo horum. Ergo insufficienter enumerantur.

art. 1. huius quæst.

RESPONDEO dicendum, quod satisfactorium est *, debet esse talis, per quam aliquid subtrahamus ad honorem Dei: nos autem non habemus nisi tria bona: scilicet bona animæ, bona corporis, & bona fortunæ, scilicet exteriora. Ex bonis exterioribus

dem fortunæ subtrahimus nobis aliquid per eleemosynam; sed ex bonis corporis, per ieiunium. Ex bonis autem animæ, non oportet quod aliquid subtrahamus nobis quantum ad essentiam, vel quantum ad diminutionem ipsorum, quia per ea efficiuntur Deo accepti: sed per hoc, quod ea submittimus Deo totaliter; & hoc fit per orationem. Competit etiam iste numerus ex parte illa, qua satisfactio peccatorum causas excidit: quia radices peccatorum tres ponuntur, prima Ioan. 2. scilicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Contra concupiscentiam carnis ordinatur ieiunium, contra concupiscentiam oculorum eleemosyna, & contra superbiam vitæ, ordinatur oratio: ut August. dicit super Matt. Competit etiam quantum ad hoc quod satisfactio est peccatorum suggestionibus aditum non indulgere: quia omne peccatum vel in Deum committimus, & contra hoc ordinatur oratio: vel in proximum, & contra hoc ordinatur eleemosyna: vel in nosipfos, & contra hoc ordinatur ieiunium.

Ad primum ergo dicendum, quod secundum quosdam duplex est oratio. Quædam quæ est contemplatiuorum, quorum conuersatio in cælis est: & talis quia totaliter est delectabilis, non est satisfactoria. Alia est, quæ pro peccatis gemitus fundit, & talis habet poenam, & est satisfactionis pars. Vel dicendum, & melius, quod quælibet oratio habet rationem satisfactionis: quia quamuis habeat suauitatem spiritus, habet tamen afflictionem carnis: quia ut dicit Greg. super Ezech. Dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur proculdubio fortitudo carnis. vnde & neruus formoris Iacob ex luctu angeli emarcuisse legitur, Genes. 32.

Ad secundum dicendum, quod peccatum carnale dicitur dupliciter. Vno modo, quod in ipsa delectatione carnis completur; ut gula & luxuria. Alio modo, quod completur in his, quæ ad carnem ordinantur, quamuis non in delectatione carnis, sed in delectatione

*ut hñt
in Aug.
& de re.
locis su-
pra quas.
12. ar. 2.
in argu.
Sed con-
tra, cita-
tis.*

*hom. 14.
in Ezech.
inter me.
& fin.*

tione animæ magis perficiatur, vt auaritia; unde in peccata sunt quali media inter spiritualia & carnalia & ideò oportet, quòd eis etiam aliqua satisfactio respondeat propria, scilicet eleemosyna.

Ad tertium dicendum, quòd quamuis singula trium per quamdam conuenientiam singulis peccatis approprientur; quia congruum est, vt in quo peccauit, in hoc puniatur; * & quòd peccati commisi, per satisfactionem radix abscindatur: tamen quilibet horum pro quolibet peccato satisfacere potest. Vnde ei qui non potest vnum ex his perficere, imputatur aliud, & præcipue eleemosyna; quæ altera vices supplere potest, in quantum alia satisfactio opera per eleemosynā quisque sibi mercatur. * Et dammodo in illis quibus eleemosynam tribuit. Non oportet quòd si eleemosyna omnia mundi peccata, propter hoc alia satisfactioes superflua.

Ad quartum dicendum, quòd quamuis sint tria peccata in specie, tamen omnia ad illas tres dices, vel ad illa tria peccatorum genera, quibus diximus * dictas satisfactioes respondere, reduci possunt. Ad quintum dicendum, quòd quicquid ad afflictionem corporis pertinet, totum ad ieiunium refertur & quicquid in proximi vtilitatem expenditur, in eleemosynæ rationem habet: & similiter quæcumque latria exhibetur Deo, orationis accipit rationem. Ideò etiam vnum opus potest habere plures rationes satisfaciendi.

QVÆST. XVI.

De suscipientibus sacramentum pœnitentiæ, in articulos diuisa.

Deinde considerandum est de suscipientibus sacramentum pœnitentiæ.

¶ Circa quod quærentur tria.

- ¶ Primo, vtum pœnitentiæ possit esse in impenitentibus?
- ¶ Secundo, vtum in sanctis, qui sunt in gloria?
- ¶ Tertio, vtum in angelis, seu bonis seu malis?

Sap. 11.

alias meretur.

in corp. est.